Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Missa

urn:nbn:de:bsz:31-160625

Visual Library

ſula apponi, *ſi ita eſt, cum eis diſpenſo, vt inter ſe publicè & ſeruatâ Trident. formâ contrahant.* Idem cenſet Conin. *diſp. 24. dub. 10, n. 86. contra Bonac.* quando vnicus tantum eſt conſcius illius impedimenti, ita vt probari nequeat in iudicio.

MISSA.

302. *Priuilegia circa Miſſam, locum, tempus aut numerum concernunt.*
303. *Locus ſacrificandi.* 304. *Priuilegia.*
305. *Celebrandi Hora, cum Priuilegijs.*
306. *Priuilegia circa Numerum remiſſiuè.*

CCCII. *Priuilegia circa Miſſam triplicia.*

302. PRo digniori Diuinæ huius actionis exercitio, adeò nobis frequenti, & occurrentium caſuum notitiâ, cum Rubricæ Miſſales, & earum celebris Commendator Gauantus paſſim obuius, alijque quamplures accuratius agant, ijs ſuppoſitis, hîc ſolùm refero Priuilegia, quæ in hac materia potiſſimùm habentur triplicia, aliqua *locum* ſacrificandi, alia *tempus*, alia demùm *numerum* concernentia.

CCCIII. *Locus ſacrificādi.*

303. Ex Præcepto C. *Nullus Preſbyter. de Conſec. diſt. 1.* Miſſa celebranda eſt in Eccleſia conſecrata ab Epiſcopo aut ſaltem benedicta & in Altari lapideo conſecrato, integro & non enormiter fracto, P. Elig. *to. 1. V.*

1. V. Miſſa. 5. n. 1. Non in alijs locis. c. *Miſſarum*. Niſi Eccleſia deſit. Tum enim in caſu neceſſitatis in capellis cum tabula conſecrata, aut ab iter facientibus, ſub dio vel in tentorijs, ſi tabula Altaris conſecrata, cæteraque ſacra miniſteria ad id officium pertinentia ibi adfuerint, celebrari poteſt. *c. Concedimus. d. diſt.* Idipſum ad alias ſimiles neceſſitates extenditur *ibid. c. 1.* vt ſi magna multitudo hominum in aliquo die feſto, in Supplicationibus, ſeu Miſſis primis Sacerdotum ad paruam aliquam Eccleſiam concurrit, vel alia ſimilis occaſio contingit. Ita poſt D. Th. Nau. & alios P. Sorbo *in Comp. Priu. V. Miſſa.* Baſſæ. *vbi ſupra. 4. n. 1.* hanc generalem aſſignans Regulam; *tunc adeſſe neceſſitatem, quando cultus diuinus notabiliter læditur aut imminuitur, niſi celebretur.* Monet autem rectè Tambur. *de Sacrif. Miſſæ l. 1. c. 4. §. 1. n. 3.* vt ſi adſit Ordinarius, fiat cum eius licentia. Cùm in Trident. Epiſcopis ſpeciatim demandetur: *Ne patiantur extra Eccleſiam Sacrificium peragi.*

304. Ante Conc. Trid. licebat Sacerdoti ex conſenſu Epiſcopi, *iuxta c. Miſſar. d. Diſt.* etiam in priuatis domibus, quæ ſacræ non erant, ſuper Altari ſacro portatili Miſſam facere. Nunc verò quia in eodem Trid. *Seſſ. 22. in Decr. de obſeru. in Miſſa.* cautū eſt: CCCIV. *Priuilegia.*

Ne patiantur Epiſcopi in priuatis domibus, atq; omnino extra Eccleſiam & ad cultum diuinum tantum dedicata oratoria ab eiſdem Ordinarijs deſignanda & viſitanda, ſanctũ hoc ſacrificium à Sæcularibus aut Regularibus quibuſcunq; peragi. Cenſent aliqui ſolum Roman. Pontificem id nunc poſſe concedere, adeóque & ceſſare facultatem illam Epiſcoporum dandi, & Regularium licentiam faciendi Sacrum aliter quàm dicto modo. Sed in contrarium eſt Praxis Epiſcoporum, & Regularium, &, præter id juri communi inſertum, *de quo V. Altare. n. 53.* noua Priuilegia cum clauſulis ſufficienter Tridentino derogantibus, vti refert Tambur. *vbi ſupra. c. 4. §. 3. n. 14. ex Comp. Priuil. Societ. V. Oratoria.* Illud inprimis à Greg. 13. Societati Ieſu, & per communicationem cæteris etiam Regularibus, datum, *vt in Oratorijs & Capellis, quæ Prouinciales Societatis, per ſeipſos, domibus, Collegijs & alijs locis, vbi aliqui Societatis reſidebunt, approbauerint, Miſſas & alia diuina officia celebrari poſſint, nullius alterius ad id requiſita licentia.*

Aliud Priuilegium cum clauſulis eidem Cong. derogatoriis, Pij 4. datum Canonicis Regul. S. Saluat. Lateran. *die 18. Maij 1565.* refert Peyr. *circa conſtit. Pyrrhi. n. 34.* quo conceditur *omnibus & ſingulis Regularibus*

ribus tam viris quàm fœminis, quibuſuis infirmitatibus pro tempore detentis, quibus ob huiuſmodi infirmitates vel per Medicum aut Superiorem ſuũ è Cubiculis ſuis exire prohibitum fuerit, vt durantibus infirmitatibus tantùm, Miſſam in proprio Cubiculo ſuper Altari portatili, in loco tamen decenti & honeſto, per aliquẽ Sacerdotem, per eos ad ſuum libitũ eligendum, celebrari facere, illiq́ue intereſſe, & eam etiam in ipſorum cubiculis iacentes audire, Sacramentumq́ue Euchariſtiæ confeſſi & contriti, liberè & licitè ſuſcipere poſſint, Ordinariorum locorũ, ſeu quorumcunque aliorum licentiá deſuper minimè requiſitâ, ipſiq́ue ac Sacerdos ſic per eos eligendus Miſſam huiuſmodi reſpectiuè audiendi ac celebrandi plenam ac liberam licentiam & facultatem habeant.

305. De *hora* celebrandi Teleſphorus P. Septimus à. S. Petro, *A. 150. relatus c. Nocte. de Conſec. diſt. 1.* decreuit, *exceptâ nocte Dominicæ Natiuitatis, temporibus reliquis Miſſarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè celebrandas eſſe, quoniam & eâdem horâ Dominus crucifixus eſt, & ſupra Apoſtolos Spiritus S. deſcendiſſe legitur*; ſed cum hac ratione aliqua Populi pars ſua deuotione priuaretur, Leo P. 1. qui vixit *A. 461.* conceſſit, *in prima quoque parte diei Miſſarum ſolennia celebrari. c. Neceſſe eſt. diſt. vbi ſupra.*

CCCV. *Celebrandi Hora.*

Totum dicendis Miſſis interuallum Rubri-
cæ Miſſalis *p. 1. tit. 15.* deſignant ab auro[ra]
vſque ad Meridiem: approbante id Vni-
uerſali Conc. Trid. *vbi ſupra*, inſuper &
mandante; *Ne Sacerdotes alijs quàm debitis
horis celebrent, neue ritus alios vel alias cære-
monias & preces in Miſſarum celebratione ad-
hibeant, præter eas, quæ ab Eccleſia approbatæ
ac frequenti & laudabili vſu receptæ ſunt, &c.*
quæ adeò ſeuerè præcipi putat Azor. *p. 1. l.
10. c. 25. q. 1. & 6.* vt, ſi quis ſcienter & ſine
iuſta & debita cauſa, tertiâ parte horæ ante
auroram vel poſt meridiem, Miſſæ ſacrifi-
cium faceret, lethaliter peccare, aſſeueret.
Quod meritò cæteris DD. diſplicet, præ-
ſertim noſtris Germanis, qui ex præſcripta
conſuetudine, tribus vel quatuor horis, an-
te Solis ortum celebrare nullo ducunt ſcru-
pulo. Quam conſuetudinem exteri quoque
Doctores laudant magis quàm improbent,
*vt videre eſt in Tambur. aliquoties allegato. l. 1.
c. 6. §. 4.* Fauet etiam S. Congr. *18. Sept. An.
1634. apud Gauant. in ſupracit. tit. Miſſal.* vbi
auroram, ait, *non phyſicè, ſed moraliter & po-
liticè attendendam pro eo, quando terminari
ſoleat hominum quies & inchoari labor, iuxta
probatam Regionum conſuetudinem.* Quin eti-
am primis Eccleſiæ temporibus, in ſacris
Vigilijs, noctu etiam Sacrificium offerendi
conſuetu-

conſuetudinem fuiſſe obſeruat Baron. *ad A. Chriſti* 154. vbi propterea Teleſphori Canonem intelligit de his, quæ frequentiori vſu in Eccleſia ſeruarétur. Et hæc de principio.

De termino ad quem vſque protrahi Miſſam liceat, ſicut Azor. ſcrupuloſius coarctat, ad meridiem vix horæ trientem indulgens, ita laxior Nauar. *in Man.* 25. *n.* 85. vſque ad horam tertiam poſt meridiem celebrandi facultatem facit; quod etſi communiter alij reijciant, eo quod Trident. paulo ſuperiùs adductum, præcipiat *ne Sacerdotes alijs quàm debitis horis celebrent*, quæ ſcilicet iuxta Rubricas Miſſal. intercedunt *ab aurora, in meridiem.* Tambur. tamen *cit. n.* 20. *cum Vaſq. & aliis* admittit ſaltem in magna feſtiuitate, abſolutâ tardiùs concione, in funere Principis ſolenni ordinatione, vel aliâ causâ ſimili, Vniuerſaliter autem & ſecluſis his cauſis, celebrari poſſe poſt meridiem *dummodò vnius horæ ſpacium non attingat*, tenet Syluius *in p.* 3. *q.* 83. *a.* 2.

Ex Priuilegio poſſunt Religioſi celebrare per tres horas ante ſolis ortum, & totidem poſt meridiem. Imò ex Priuil. Alexād. 6. *conceſſo Monachis S. Benedicti de Monte Serrato*, poſſunt Miſſas dicere in ſuo Monaſterio, duabus horis immediatè poſt mediam noctem. Ex Priuil. Greg. 13. dum ſunt in *Priuilegia.*

itinere

itinere vel itineraturi *inter aurorã & mediam noctem.* Portel. *V. Miſſa. n. 3.* legit; *ante auroram, poſt mediam noctem. Vide de his* Tamb. *cit. § 4. & Vrban. ab Aſcens. tr. 2. p. 2. diſt. 1. c. 2. Reg. 7.*

CCCVI. *Circa numerum remiſſiuè.* 306. Circa *Numerum* duplicia ſunt Priuilegia. 1. celebrandi ſæpiùs in vna die. 2. Vt Generales Religionum in Viſitatione poſſint in multitudine Miſſarum diſpenſare, adeò vt in Miſſa poſſint poni, vſque ad nouem Collectæ, & quælibet Collecta valeat pro Miſſa. De 1. videatur infra *V. Miſſio.* De altero, cum apud nos in vſu non ſit, remitto Lectorem ad P. Sorbo *in Comp. Priuil. ad V. Miſſa.* Tamburin. *l. 3. c. 1. §. 4.* Vrban. ab Aſcenſ. *cit. Reg. 8.*

MISSIO.

307. *Priuilegia Miſſionis facta Capucinis Prouinciæ Helueticæ.*

CCCVII. *Priuilegia Miſſionis Heluet.* 307. PAtres Prouinciales Helueticæ noſtræ Capucinorum Prouinciæ, præter ordinarium ſuum Miniſterium, officium inſuper exercent præfecti Miſſionis, ex gratia ſpeciali S. Congr. Eminent. DD. Card. de propaganda fide, à quibus, eum in finem, varias etiam gratias & facultates inſignes accipiunt, quas & communicare

valent